



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXV. Gregorii Papae I. Ad Anthemivm Svbdiaconvm. Pastorem  
quemdam infirmum oculis commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

potius expectare. Clericorum siquidem aliorum consuetudinem te oportet illibatam seruare, eisque annis singulis quæ sunt consueta transmittere. Nobis autem de cetero ne quid transmittere debeas inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis, palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus: sed eas, ne quod exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus precio venumdari, & id fraternitati tuæ transmisimus sigillatim. Sed quia caritatem tuam ad nos venire velle cognouimus, scriptis præsentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem assumere, sed ora pro nobis, vt quanto nos itineris interualla dissociant, tanto animis nostris adiuvicem Christo adiuuante simus in caritate coniuncti; quatenus nos alterna obsecratione iuuantes, suscepimus officium venturo integrum iudici resignemus.

## EPISTOLA LXV.

G R E G O R I I P A P A E I.

AD ANTHE MIVM SVBDIACONVM.

Pastorem quemdam infirmum oculis commendat.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**S**i proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurremus, nostris procul dubio petitionibus Dominum clementem reperimus. Pastorem siquidem, qui nimia visus imbecillitate laborat, habentem coniugem, duoque mancipia, qui & cum Ionatha quondam glorioſo fuerat, plurimi cognouimus necessitatibus subiacere. Propterea experientiam tuam per præsentis præcepti paginam admonemus, vt pro sustentatione eius annuos tritici modios xiiii. nec non & fabæ modios xi. dare non differas, quæ postmodum possint tuis rationibus imputari. Ita ergo fac vt & tu bene ministrans mercedis & commodum percipias, & nostra ad effectum præcepta perducas.